



Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Aichardvs Abbas. 15. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

504 *Vita Sanctorum.* 15. SEPT.
parentem sustulit, pactusque regnum
cum Heraclio pro cruce est stultissimus
mercator. Hanc porro Heraclius cum
imperorio habitu fulgens eò ferre
vellet, quò primò Servator tulerat, nec
tamen, occultā vi gradum morante,
progredi jam posset, monuit Presul Za-
charias fastum poneret & aurum nimis
animo onerosum ; nescire crucem
purpuram, nisi quæ de Christi sanguine
ruberet, sed neque coronam nosse,
quàm spinæ non ornarent. Aliter ergo
triumphantum sibi esse intelligens He-
raclius, nudus pedes & plebejam togam
indutus facile jam pedem promovi-
vit, & sublimem crucem loco suo &
honori restituit. Hæc EXALTATÆ
CRVCIS festa initia ajunt. Nego ego,
& cùm bonâ pace Heraclii, ea Christo
primitus adscribo. Ex Brev. & Baron.

S. AICHARDVS ABBAS.
15. Septembris.

Ingens duellum matrem inter & pa-
rem felicissimè AICHARDVS
sustulit. Dum enim hic militiæ, illa
Deo devotum vellet filium, hic pul-
chra litis arbiter, ut ex æquo rem com-
poneret, utrumque præstítit, & ad mi-
litiam abiit, sed religiosam & DEO
sacram. In hâc cùm egregiè diu adver-
sus Orcum depugnasset, & in fundo
paterno viætrici VIRGINI ædem,
hoc

16. SEPT. *Vita Sanctorum.* 505
hoc est, propugnaculum sibi exædificasset, Dux demum nongentis monachis datus est. Inter fortia ejus facta memorant in fugam actum non semel hominum hostem, sive crucis telo, cùm arbore dejectâ obruere Christi milites vellet; sive aquâ lustrali, cùm hâc omnibus suorum cubiculis exegit. Post multas maximasque pugnas beatam vacationem tandem pro suis à D E O petiit. Annuit hic & Angelum bonum misit, qui post longam cum malo luctam bacillo medium partem tam sancti exercitus signavit. Erat hoc rude emeritos donasse. Nam de morte & ipsi moniti, cùm quatuor dierum jejunio corpus curassent, & sacris omnibus se armassent, ultimum pugnarunt, eodemque die, vultu (ut victores scires) læto & præfulgido omnes celum triumphantes ingressi sunt. Sed & AICHIARDVS tunc securus est. Cur enim à triumpho Dux excluderetur?
Ex Grafo.

S. EDITHA V. 16. Septembris.
Ferax olim Divorum tellus Anglia, quām eheu! degenerasti. sponte tuā ferēbas fructus olim, quos jān nō nisi gladiis sulcata, & sanguine rigata donas. Illos inter EDITHA numera tur Edgari Regis filia & Christi sponsa, cui amores suos primis annis devovit,

Kk pa-